*Ecce ego dirigam ad eam quasi fluvium pacem.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ 66, 10-14c

10 Lætámini cum Ierúsalem et exsultáte in ea,
omnes, qui dilígitis eam;
gaudéte cum ea gáudio,
univérsi, qui lugebátis super eam,
11 ut sugátis et repleámini
ab úbere consolatiónis eius,
ut mulgeátis et delíciis affluátis
ex ubéribus glóriæ eius.
12 Quia hæc dicit Dóminus:
«Ecce ego dírigam ad eam quasi flúvium pacem
et quasi torréntem inundántem glóriam géntium.
Sugétis, in ulnis portabímini,
et super génua blandiéntur vobis.
13 Quómodo si quem mater consolátur,
ita ego consolábor vos;
et in Ierúsalem consolabímini.
14 Vidébitis, et gaudébit cor vestrum,
et ossa vestra quasi herba germinábunt,
et manifestábitur manus Dómini in servis eius».

Verbum Dómini.